

faciunt far[inam]
arboribus—

lancee sine ferro

omnes silue de arboribus
magni ualoris
adorant ydola

tenetur no[bilior] qui
pulcriorem ta[uale]am
habent/
nascuntur garofa[li] &
nuces Jndie

est melior alia. quia datur pro tanto auro ad pondus. frumentum quod non habent/ neque alias segetes. set comedunt risum & lac. vinum de arboribus habent sicut est superius declaratum in capitulo. samatra. Jttem aliud uobis mirandum narabimus uidelicet quod in ista prouincia de arboribus habent farinam habent enim maneriem unam arborum/ que sunt multum grose & longe & earum lignum est circumcirca forte per tres digittos grossum. & tota medula interior est farina & sunt arbores ille grosse quantum duo homines possent circum amplecti. Et ista farina ponitur in mastelis plenis aqua & circumducitur cum uno baculo perinter aquam. tunc furfures & inania elleuantur ad sumum aque & farina pura submergitur ad fundum. hoc facto aqua emititur & farina emundata in fundo remanet comprehensa & tunc conditur & fiunt ex ea lagana & diuerse epule que de pasta fiunt que sunt ualde bone. Et dominus marcus multociens hoc probauit. lignum uero huiusmodi arborum equiponderat ferro & in aqua proiectum submergitur uelud ferrum Jstud lignum scinderetur a sumo usque ad infimum recte per lineam ueluti arundinis canna. quia quando arbor euacuatur. | a farina. 65^v lignum ut dictum est/ forte per tres digitos manet grossum. de isto ligno faciunt gentes ille lanceas breues & non longas quia si essent longe nullus posset eas portare nedum exercere propter nimium pondus ligni ipsi accuunt lanceas ipsas in capite. & postmodum aliquantulum ad ignem comburunt accutum que lancee sic parate in transfigendo arma quelibet cuilibet lancee feree preualebant. nunc de isto regno diximus quod est de partibus istius insule. & de alijs regnis que sunt in alijs partibus non dicemus. quia dominus marcus ibi non fuit. & ideo ulterius procedentes dicemus de quadam insula ualde parua nomine necuieran :—

/de insula necuieran

Cum uero discedendo a çaua & regno lanbri est circa centum & quinquaginta miliaria nauigatum uersus tramontanam inueniuntur due insule una quarum uocatur necuieran. Et in ista insula non est rex cuius gentes tanquam bestie sunt. & omnes tam masculi quam femine pergunt nudi & nichil coperiunt de se. adorant ydola. omnes eorum luci sunt de nobilibus arboribus & magni ualoris Jpsi habent pulcerimas taualeas siue facitergia de syrico cuiuslibet coloris que taualee sunt per tria brachia. longe ipsas quidem a traseuntibus mercatoribus emunt & eas super perticas retinent in domibus pro thesauro & nobilitate sicuti apud nos tenentur perule lapides preciosi & uasa aurea & argentea. 66^r & ad nichil eas exercent. set solummodo ad apparentiam ipsas tenent. & qui plures & pulciores habet ex ipsis tenetur nobilior & maior. nascuntur ibi nuces de india que apud nos nuces pharaonis appellantur. nascuntur & bona paradisi garofali berci & multe alie bone arbores. non sunt ibi aliqua alia dicenda Et ideo ulterius procedentes dicemus de Jnsula que nominatur angaman :—